VETERVM
ROM. ORNATISSIMI AMPLISSIMIq; THRIVMPHI,

Ex antiquissimis
Librorũ, Lapidũ, & num-
morũ monumentis
desumpti:

Auct. Onuphrio Panuinio:

*Sumtibus vero Cornelij de Iu-
deis in lucem editi &c.*

Antverpiæ. A°. D.
MDXCVI.

CORN. DE IVDAEIS ANTVERP. STVDIOSIS LECTORIBVS S. P.

NOVUM ne quispiam existimet esse id quod hîc in lucem do, neque esse ex eo genere scriptorum, quæ vetera quidem sunt, nouo tamen auctore prodeunt; sed pro eo quod est, amplectimini, quoniam gratum vobis ex auctoris futurum est nomine. Commentarius en vobis de Triumpho, quem doctus olim conscripsit Onuphrius Panuinius ad Historicorum veterum placita & ordinem.

Verùm quis mihi animus, dicat aliquis, circa veterem & semel editum Triumphum obuersari? Veterem quidem esse scio, at desideratum iampridem non ignoro, ab his præsertim qui veterem solidam magis quàm recentem futilem scientiam amplectuntur. Proinde cùm inter cæteras officinæ meæ tabulas & has ferro seiunctim exaratas haberem; iungendo auctoris Commentarium, tum demum me plenam studiosis satisfactionem daturum, ac absolutum planè fore laborem, existimaui. Valete.

IN ONVPHRII PANVINII TRIVMPHOS ROMANORVM.

Romanos quicunque cupis ſpectare Triumphos,
Victorique datos pompæ ſolennis honores;
Inſpice quæ doctus conſcripſit Onuphrius olim,
Quæque etiam Artificis ſolers ſolido manus æri
Inſculptis pulchra nunc exhibet arte figuris.
Laude quidẽ egregia celebrari dignus vterque:
Vt bonus hic ſculptor, ſcriptor ſic ille peritus.

Corn. Kil. Duffl.

F. ONOPHRII PANVINII, EREMITAE AVGVSTINIANI,

DE TRIVMPHO COMMENTARIVS.

DE Triumpho eiusque pompa scripturus, primum ab eius verbi significatione scribendi initium sumam. Triumphi igitur etymologiam non omnes vna ratione veteres exponunt scriptores: nam M. Varro libro v. de lingua Latina à Baccho Triumphi inuentore tractum nomen putat, cui Triumphantis cognomen fuit: milites enim cum Imperatore victores redeuntes per Vrbem, in Capitolium eunti Duci, Io triumphe, clamitabant; quod nomē à θριάμβος, Græca voce, Liberi Patris cognomine, deriuatum est. Nam Bacchus, cùm post victoriam Indicam primus triumpharet, milites eius ficorum folijs, quæ θρία dicuntur, vultus cooperuerunt, clamitantes, Io thriambe Bacche, io thriambe Bacche; vnde Baccho cognomen inditum θρίαμβος, hoc est, Triumphans. Sic milites Romani, Io triumphe, Græcā in Latinam vocem vertentes, dicebant. Itaque Liuius libro XLV. ait: Milites Laureati Triumphum nomine cient. Verba autem Varronis sunt hæc: Sic triumphare appellatum, quòd cum Imperatore milites redeuntes clamitant per Vrbem in Capitolium eunti, Io triumphe, io: idque à θριάμβω Græco Liberi Patris cognomento potest dictum esse. Tranquillus autem ideo existimat dici Triumphum, quòd qui triumpharet, triplici iudicio honoraretur: primò enim exercitus de Triumpho decernendo Duci iudicabat, secundò Senatus, tertiò populus. Alij Triumphum nomen Græcum esse putant: quod enim θρίαμβον appellant Græci, Latini aspiratione ex prima in nouissimam syllabam translata, & b in p mutata, Triumphum dixerunt. *Triumphi deriuatio.*

Erat autem Triumphus inter honores omnes, quia à S. P. Q. R. dari solebant, eximius. Pompa scilicet solemnis illa, quam is, qui auspicijs suis hostibus prœlio deuictis in Vrbem cum incolumi exercitu redibat, Senatus primùm decreto, pòst etiam iussu populi consequebatur. Triumphum autem primus omnium post homines natos, Indiâ debellatâ, apud Græcos (vt dixi) Bacchus Thebanus, Iouis & Semeles filius, instituit, qui & Liber Pater dictus est, vt Solinus cap. 53. scriptum reliquit. Quis autem apud Romanos primus Triumphum egerit, parum inter scriptores conuenit. Dionysius enim libro 2. Plutarchus in Romulo & Messalla Romulum huius instituti auctorem fuisse scribunt. Qui etiam illud tradunt, ab alijs quibusdam L. Tarquinio Prisco Regi hoc tribui: quos Florus & Eutropius lib. 1. sequuti sunt, & fortasse etiam Liuius, qui nullius regij Triumphi meminit, nisi eius, quem L. Tarquinius Priscus de Sabinis egit. Quam tamen controuersiam dirimit in Romulo Plutarchus, qui Priscum quidem primum fuisse putat, qui curulem in Vrbe Triumphũ inuexerit, sed, qui triumphandi morem instituerit, Romulũ. Is enim Acrone Cæninensium Rege interfecto, Cænina, Antemnis, & Crustumerio Sabinorum oppidis captis, pedibus triumphauit, non curru, vt Dionysius tradit. Quare Plutarchus Dionysium ipsum meritò reprehendit, qui Romulũ curru Vrbem ingressum in Triumpho scripsit, cùm tamen minimè Romulus, sed aut Priscus, aut, vt alij tradiderunt, Poplicola consul primus Vrbem curru Triumphi caussa inuectus sit.

Bacchus Triumphũ instituit.

Romulus pedibus triumphauit.

Triumphorum porrò duo genera fuerunt. Vnus maior, qui præcipuè Triumphus; alter minor, quæ Ouatio appellata est. Ex Triumphis maioribus alij Terrestres, alij Nauales. Ex Terrestribus alij in Vrbe, alij in monte Albano acti. Hi verò cuiusmodi, quíue primi, & quo anno, aut qua caussa instituti fuerint, ac quid inter Triumphum & Ouationem interfuerit, sigillatim paulo pòst demonstrabo. Quum autem Triumphi honos omnium maximus, stante Republica, omnibusque communis semper fuerit; ea euersa, Imperatoribus tantùm dari cœpit, atque pro Triumpho triumphalia ornamenta ab Augusto Cæsare populi Romani Ducibus, ob res bello præclarè gestas, decerni cœpta sunt. Quæ cuiusmodi fuerint, suo loco exponam; ante omnia autem de Triumpho maiore, qui præcipuè Triumphus dicebatur, disseramus.

Triumphus Terrestris & Naualis.

Illud igitur in primis animaduersione dignum, diuersam Triumphorum rationem fuisse. Nam re ab exiguis exorta initijs, tenues principiò exilesque Triumphi fuere: deinde, crescente paulatim P. Romani ditione ac potestate, ingentes atque opulentissimi fieri cœperunt. Ex gentium enim & populorum deuictorum conditione vel tenuiores vel sumptuosiores fiebant. Itaque quum primis illis temporibus exigua oppida in deditionem populi Romani venirent, debiles erant; postea verò, quum integræ Prouinciæ &

Regna à populo Romano ſubacta ſunt, ſumptuoſiſſimi fieri cœperunt: quod his verbis docet Dionyſius libro 2. Vrbe Cænina capta, arma tradi iuſſit; acceptiſque pueris obſidibus, quos voluit, in Antemnates vertitur, palanteſq; eos & diſperſos ad prędam inopinato ſuperuentu capit; eodemq; modo de his quo de prioribus decernens, exercitum domum reduxit; ſpolia etiam adducens bello capta, Deiſque prædæ primitias conſecrans, ac multa ſimul faciens ſacrificia: vltimus autem ipſe poſt pompam ibat, purpurea veſte amictus, comamque lauro coronatus, &, vt dignitatem regiam ſeruaret, curru quadriiugo inuectus; aliæ verò equeſtres pedeſtreſque copiæ ſequebantur, egregiè inſtructæ, Deos laudantes patrijs carminibus, ac Ducem ſuum extemporalibus verſibus extollentes. Ex Vrbe verò cuncti eis obuiam prodiere, cum vxoribus & liberis ex vtraque viæ parte, ſimul & ob victoriam gaudentes, & omnem præ ſe ferentes comitatem: vtque Vrbem inierunt, crateribus occurrunt vino plenis, menſiſque omnium generum cibis refertis, expoſitis ipſis apud illuſtros familias, vt paratæ eſſent volentibus. Victorioſa itaque & tropheaphora pompa & immolatio, quam Romani Triumphum vocant, primùm à Romulo inſtituta, talis fuit. *Qualis fuerit Triumphus tempore Romuli.*

Ætate autem noſtra ſumptuoſiſſima & inſolens, & ad oſtentationem potiùs diuitiarum, quàm ad virtutis exiſtimationem decantata, omnem prorſus formam exuit priſcæ tenuitatis. Poſt pompam autem & ſacrificium Romulus templum in Capitolio Ioui Feretrio extruxit, &c. Ceterùm, vt ſcribit Plutarchus, eum, qui triumphabat, Vrbem ingredi pedibus primò mos fuit, captiuis præcedentibus, & exercitu ſubſequente, vt fecit Romulus. Mox Tullus Hoſtilius equo vectus de Albanis, Fidenatibus, & Sabinis triumphauit. Idem fecit Aneus Martius, quum de Veientibus & Sabinis victis Triumphum duceret. Primus quadriga vſus ſecundo Triumpho ſuo, quem de Etruſcis egit L. Tarquinius Priſcus, vel (vt alijs placet) P. Valerius Poplicola Conſul. Albis equis ad currum iunctis primus triumphauit de Veientibus M. Furius Camillus Dictator. Poſtea paſſim triumphalis pompa ita aucta eſt, vt nihil ſpecioſius in vrbe videri poſſit. Ego autem, quo ab antiquitatum ſtudioſis gratiam aliquam ineam, hîc apponere eius generis Triumphorum, quos ſumptuoſiſſimos fuiſſe refert Dionyſius, deſcriptionem inſtitui, quam ex Ioſepho, Plutarcho, Appiano, Zonara, & alijs pleriſque ſcriptoribus excerptam hac ratione concinnaui.

RE P. bene geſta, egregia victoria parta, & rebus Triumpho dignis actis, pop. Rom. Dux ſtatim à militibus Imperator appellatus, faſces laureatos per curſores in Vrbem mittebat. Quum verò ipſe incolumi cum exercitu domum reuerſus eſſet, Senatus ei intra ædem Bellonæ, extra Vrbem, in Campo Martio dabatur, vbi, quæ geſſerat, exponere, debitumque Triumphum petere poſſet; nemini enim triumphaturo Vrbem ingredi ante

Trium-

Triumphum licebat. Tum si res ab eo gestæ Triumpho dignæ Senatui visæ fuissent, à Senatu primò, deinde à populo, cùm Imperatoris nomen ei confirmatum esset, ei decernebatur, vt ei triumphanti Vrbem inire liceret, diesque certa Triumpho statuebatur.

Quòd si Imperator, Dictator, aut Consul, vel Prætor non fuisset, atque ob eam caussam imperium intra Vrbem habere non posset, (Proconsules enim & Proprætores intra Vrbis mœnia cum imperio esse non poterant) tunc, quo triumphanti ei cum imperio Vrbem ingredi liceret, lex comitijs curiatis ferebatur de imperio eius Ducis intra Vrbem per diem vel dies Triumphi habendo: nam neque priuatis triumphare licebat; qua lege lata, diequè Triumpho decreto, Imperator triumphali habitu amictus, armillis sumptis, laurea redimitus, & ramum lauri dextra tenens, milites ad concionem conuocabat. Vbi militibus & publicè & priuatim laudatis pecuniam donabat, & ornamenta, vt armillas, torques, hastas puras; id est, sine ferro, coronas alijs aureas, alijs argenteas, expresso in his & nomine, & hominis præclarè gestis. Nam qui murum primus conscenderat, aut oppidum expugnauerat, ei corona muralis & obsidionalis dabatur; qui classe vicerat, coronâ rostratâ donabatur; qui verò ciuem in prælio obsidione alióue periculo liberauerat, quum summam laudem assequebatur, tum ciuicâ honorabatur, quernâ coronâ, cuius honos omnibus argenteis & aureis præferebatur; qui verò equestri pugna vicerat, aliud ei quoddam pugnæ equestris specimen fingebatur, quo ab Imperatore donaretur. Cui rei cognoscendæ non parum auxilij adfert Epigramma L. Sicinij Dentati, ex Varrone, Plinio, & Valerio Maximo lib. 3. cap. 2. formatum, & in antiquis Epigrammatibus Vrbis exaratum est ita:

Militariū donorum distributio.

Militariū coronarum differentia

L. SICINIVS. DENTATVS. TRIB. PL. CENTIES. VICIES. PRÆLIATVS. OCTIES. EX. PROVOCATIONE. VICTOR. XLV. CICATRICIBVS. ADVERSO. CORPORE. INSIGNIS. NVLLA. IN. TERGO. IDEM. SPOLIA. CEPIT. XXXIIII. DONATVS. HASTIS. PVRIS. IIXX. PHALERIS. XXV. TORQVIBVS. III. ET. LXX. ARMILLIS. CLX. CORONIS. XXXV. CIVICIS. XIII. AVREIS. VIII. MVRAL. III. OBSIDIONAL. I. FISCO. ÆRIS. X. CAPTIVIS. XX. IMPERATORES. VIII. IPSIVS. MAXIME. OPERA. TRIVMPHANTES. SECVTVS.

Porrò autem hæc dona non viritim, sed cohortibus & legionibus integris præbebantur. Spoliorum pars inter milites distribuebatur, his exceptis

ceptis quæ Triumpho seruabantur. Fuerunt etiam Imperatores, qui die Triumphi populo Romano epulum & congiarium dederint, sumptusq; ad spectacula publica edenda clargiti fuerint. Quod supererat, vel in armamentarium aut ærarium deferebatur, aut in fana, porticus, ianos, atria, arcus, & alia publica opera conferebatur. His peractis, Imperator currum conscendebat, neque bellicis, neque ijs similem, quorum in Circensibus vsus erat, sed instar turris rotundæ confectum, quemadmodum ex antiquis nummis & Titi Imperatoris arcu Romæ intelligi & cognosci potest. Interea dum hæc extra Vrbem ab Imperatore triumphaturo geruntur, populus Romanus ipso Triumphi die candidis vestibus amictus, omnibus circis & locis circa forum, & alijs Vrbis partibus, per quas triumphans transiturus erat, tabulatis ad hoc ex lignis compositis insidens, sese ad spectandum Triumphum præparabat, ita vt nemo pænè ex infinita illa populi Romani multitudine domi remaneret: qui verò in tabulatis considere non poterant, ob frequentem ad spectandum conuenientem multitudinem, vix concesso necessario transitu, per varia Vrbis loca discurrentes, vbi spectandis tantùm Imperatoribus locus sufficeret, consistebant. Viæ Vrbis & Templa aperta sertis vaporibusque suauissimis repleta erant. Ante omnia vniuersus Senatus obuius ibat vsque ad Vrbis portam Duci triumphaturo, ibique paululum opperiebatur, donec tempus triumphandi aduenisset, omniaque Triumphi insignia & ornamenta disponerentur. Tum multitudo ministrorum baculos manibus gestantium ex medio dimouebant turbas, & vias apertas ac sine impedimento plebis præstabant. Hinc pompæ initium vel à porta Capena, quæ Triumphis vehendis commoda erat; vel ab ea, qua triumphans ingressurus esset, inchoabatur. Primò enim vniuersus Senatus Capitolium versus præibat: post Senatum tubicines cum tubis classicum resonantibus, sertisque redimiti, currus spolijs refertos præcedebant, quibus tabulæ eburneæ & æreæ, colossus, signa, ligneę turres, & captarum vrbium, castellorum, montium, fluuiorum, paludum, marium, & omnium denique, quæ capta erant, simulachra vehebantur, scripturis imaginibusque adiectis gestorum seriem explicantibus. Deinde ferebatur aurum, argentum, & æs partim rude & graue, partim figuris quibusdam impressum. Pòst tabulæ & signa aurea, argentea, ærea, & eburnea videbantur. Gemmarum quoque, purpurę, cocci, vestium byssinarum, vel auro intextarum, ingens copia. Item coronæ, quas virtutis ergô vrbes, aut socij, aut exercitus Vrbi parentes, militibus dedissent, aureæ & argenteæ, vel ex alia materia, adducebantur. Sequebantur post hęc pulcherrima & ornatissima gentium victarum arma, multis curribus lata, ære ferroque absterso & polito splendentia, atque ita disposita, vt casu maximè sic cecidisse viderentur. Erant autem galeę, scuta, thoraces, ocreę Cretenses, peltæ Thraciæ, & Celtæ, pharetræque, equorum frena,

Triumphi maeris enarratio.

enses nudi, & gladij, sagittæ infixæ, arcusque, pila, sarissæ, & cætera eiusmodi missilia, ita vt nec victorum quidem absque metu esset aspectus. Post armorum currus aliquot virorum millia sequebantur, qui in vasis argenteis numismata ferebant aurea argenteaque. Alij verò crateras argenteas, phialas aureas, calicesque ornatissimos & magnos certo ordine ferebant. Postea alij tubicines aderant non mite aut suaue, sed bellicum præcinentes. Post hos quinquaginta, aut centum, aut plus vel minus boues, iuxta triumphantis opes, cornibus auratis, infulis & sertis ornati, ab adolescentibus popis succinctis ad immolandum ducebantur. Postea sequebantur pueri Camilli, qui aureas & argenteas pateras sacrificij caussa deferebant. Post, si eo bello capti essent, elephanti adducebantur. Omnes autem Triumphorum ministri sericis purpureisque & auro intertextis vestibus induti erant. Post hæc captorum Ducum & Regum currus, arma, diademata super armis imposita vehebantur. Deinde hostium Reges seu Duces, cum filijs, fratribus, & sororibus, omnibusque, si qui essent, familiaribus veniebant, lachrymantes, casumque captiuitatis dolentes. Post hæc multa hostium millia manibus post tergum reuinctis deducebantur, qui ex omnibus hostium exercitibus captis pulchriores & elegantiores vastioreque & proceriore corpore selecti fuerant, atque ad Triumphum exornandum reseruati. Ferebantur etiam aureæ coronæ, quibus Imperatorem ipsum virtutis ergô vrbes in libertatem vindicatæ, seu sociæ ciuitates, donauerant. Sequebatur deinde Dux ipse, seu populi Romani Imperator, aurato curru, à quatuor albis equis vectus, toga purpurea triumphali auro intertexta amictus, in capite lauream seu auream lapillis gemmisque ornatam coronam gestans, dextra laurum, sinistra verò eburneum sceptrum tenens. Imperatoris currum, si Prætor vel Proprætor fuisset, sex; si Consul vel Proconsul, XII. si Dictator vel Augustus, XXIIII. Lictores cum fascibus & securibus laureatis, purpureis vestibus amicti, præcedebant. Circum currum verò citharœdorum ac tibicinum turba veniebat, modulis elegantissimis concinnantes: hi succincti, coronisque aureis redimiti, suo quique ordine psallentes canentesque prodibant. Horum in medio quidam stabat talari veste, fimbrijs ac armillis auro splendentibus amictus, qui gestus varios edebat; hostibusque deuictis insultans, risus vndique ciebat. Postea thuris & Arabum odorum suffimenta Imperatorem vndique comitabantur. In ipso verò Imperatoris curru pone triumphantem quidam publicus minister vehebatur, coronam auream, gemmis distinctam, supra caput eius tenens, qui à tergo sæpe illud insusurrabat, quod refert Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes: RESPICE POST TE, ET HOMINEM MEMENTO TE: memorans ne illa felicitate elatus, humanæ conditionis obliuisceretur, sed reliquæ vitæ cursum præuideret, nec eo honore superbiret. Appensa erat etiam currui nola, & flagellum,

Duces & Reges captiui.

lum, quæ innuebant eum in tantas calamitates posse incidere, vt aut flagello cæderetur, aut capitis damnaretur. Nam qui ob facinus extremo supplicio afficiebantur, nolas gestare solebant, ne quis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret. Neque tamen Imperator solus eo curru vehebatur: sæpius enim in eodem triumphantis curru adducebantur pueri, virginesque, puellæ, vel cognatorum filij, aut nepotes. Ad equorum verò habenas hinc inde cognati iuuenes, vel etiam ipsis insidentes, eos dirigebant, vt in Triumpho Augusti Marcellum dextro, Tib. verò Neronem sinistro funali equo insedisse legimus. Si plures verò erant, equis singularibus victorem comitabantur. Cæterorum verò ciuium adequitabat nemo, sed laureati omnes sequebantur. Post currum ministri primò, & scutiferi, mox Legati Imperatoris, & Tribuni, deinde exercitus omnis sequebatur, in legiones, cohortes, centurias, & manipulos distinctus: erantque milites omnes laureis sertis redimiti, laurumque manibus ferebant, coronasque, quibus virtutis ergò ab Imperatore donati fuerant. Hi currum Imperatoris triumphantis sequebantur, partim carmina patria salibus & risu permixta, partim Ducis laudes canentes: & quum hoc ordine ita processisset pompa, omnes in Capitolium per forum Romanum ascendebant, vbi Consules & reliqui Magistratus & vniuersus Senatus Imperatorem triumphantem expectabant. Quum autem triumphans in forum Romanum venisset, aliquot captiuorum Duces in carcerem duci occidique iubebat, ipseque deinde in Capitolium ire pergebat. Vbi cùm ventum esset, antequam sacrificium inchoaretur, mos erat antiquis tantisper opperiri, donec ipsius hostium Ducis mortem quispiam nuntiaret: quod postquam factum esse nunciatum fuisset, tunc taurorum & aliarum hostiarum immolationes inchoari consuetudo erat. Quibus rite peractis, donarijsque quibusdam dedicatis, quum in porticibus ibi cœnatus esset, vesperi tibijs & fistulis antecedentibus domum redibat; quem reliqui omnes ciues comitati, postea singuli ad propria diuertebantur.

Captiuorũ Duces cæsi in Triumpho.

Atque hic ferme erat amplissimorum Triumphorũ ordo, qui vel apparatiores aliquando, vel etiam tenuiores erant, prout fuerant gentis vel Regis deuicti opes & potentia: si enim plura spolia bello acquisita fuissent, ea ordine à me relato in Triumpho ducebantur; si pauciora, eadem ratione post Senatum ante currum victoris Ducis deferebantur, exercitu subsequente. Porrò autem vno die singulos Triumphos agi mos erat: sed quum aliquando accidisset, vt propter prædæ, spoliorum, & gentium victarum multitudiné pompa triumphalis vno die vehi non posset, ea in biduum vel in triduũ diuidebatur, vt factũ est Triumphis Macedonicis T. Flaminij ex Philippo, L. Pauli ex Perse, item Cn. Pompeij Magni ex Mithridate. Duos Imperatores vno curru triumphali vehi, quamquã vnà bellum aliquod confecissent, nunquã inuẽni: singulis Triumphos decerni mos erat.

Primi

Vespasianus & Titus eodem curru triumpharunt.

Primi omnium Romanorum Ducum Vespasianus Augustus & Titus Cæsar Iudaicum Triumphum vno curru vecti vnà egerunt, post quos à sequentibus Imperatoribus id aliquando vsurpatum. Ius autem triumphandi non habebat, nisi is Magistratus, cui lege curiata à populo Rom. imperium permissum erat, cuiusque vnius auspicijs id bellum gestum fuisset: hi autem erant Rex, Dictatores, Consules, Proconsules, Prætores, & Proprætores, postremò Imperatores & Cæsares. Moris autem erat, ab Imperatore, si Consul aut Dictator non esset, Triumphum ducturo Consules inuitari ad cœnam; deinde rogari, vt venire supersedeant, ne quis eo die, quo is triumphauerit, maioris in eodem conuiuio esset imperij.

Hæc ex Dionysio libro v. in Triumpho Poplicolæ, Iosepho libro v I I. cap. x x I I I I. de bello Iudaico, Valerio Maximo libro I I. cap. I I I. de iure Triumphi, & Ioanne Zonara Historiarum tomo I I. Plutarcho in vita Pauli Æmilij, Appiano Alexandrino in Libyco, Seruio super Virgilium, excepta collegi.

De triumphali pompa sic M. Cicero in L. Pisonem scribit: Disseris de Triumpho quid tandem sit iste currus? quid victi ante currum Duces? quid simulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis, & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid vehi per Vrbem? Seruius quoque libro I I I I. Æneidos super illud, *Sola fuga nautas comitabor ouantes*; Qui triumphat (inquit) albis equis vehitur quatuor, & Senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificat. Porrò autem quum animaduerterimus Triumphum omnium honorum apud Romanos maximum fuisse; verisimile est, plerosque fuisse Imperatores, qui ob leuia

Lex triumphalis.

prælia Triumphos sibi decerni desiderarint: quibus vt occurreretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium vna acie cecidisset: non enim numero, sed gloria Triumphorum excelsius Vrbis futurum decus maiores existimabant. Cæterùm ne tam præclara res cupiditate laureæ obliteraretur, legis alterius adiutorio fulta est, quam L. Marius & M. Cato Tribuni plebis tulerunt. Pœnam enim Imperatoribus minati sunt, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum ciuium falsum numerum in litteris Senatui ausi essent referre: iubebatque eos, cùm primùm ad Vrbem accessissent, apud Quæstores vrbanos iurare, de vtroque numero verè ab his Senatui esse scriptum.

Porrò Triumphi decernendi Senatus munus erat, vt apud omnes veteres auctores constat, & præsertim Pedianum in Corneliana: verùm & populus Senatus-consultum sciebat. In omnibus verò bellis, victis hostibus, ius triumphandi semper fuit eius, cuius imperium maius erat, cuiusque auspicijs bellum gestum esset, etsi bello absens fuisset. Nam Prætorem, qui & ipse imperium habebat, auspicijs tamen consularibus bellum gerentem, vicisse inuenimus absente aut etiam ægro Consule, ius tamen ob eam vi-

 ctoriam

ctoriam triumphandi Consuli potissimùm adiudicatum esse. Cuius rei exemplum nobis affert Valerius Maximus lib. III. cap. III. de iure triumphandi, de Q. Lutatio Consule, & Q. Valerio Falcone Prætore, qui bello Punico primo, cùm circa Siciliam insignem Pœnorum classem deleuisset, Consule Lutatio pugnæ tempore in lectica claudo iacente, eiusdem tamen rei nomine Lutatio Consuli, cuius auspicijs bellum gestum fuisset, Triumphum Senatus decreuit. Quem cùm Valerius sibi quoque decerni desideraret, negauit id fieri oportere Lutatius, ne in honore Triumphi minor potestas maiori æquaretur. Atque ita, quum Prætor vicisset, triumphauit Consul, cuius in eo bello auspicia fuissent.

Cæterùm inter varia triumphandi iura erat & altera lex, quæ iubebat, vt tantùm pro aucto imperio, non pro recuperatis quæ pop. R. fuissent, Triumphus decerneretur. Quare Q. Fuluio de Capua recepta, L. Opimio de Fregellanis ad deditionem compulsis, P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, & M. Marcello ob captas Syracusas, ius triumphandi ab amplissimo ordine summa obseruandi eius iuris diligentiâ negatum est: omnes quidem editis operibus magnifici, sed rei petitæ nequaquam compotes. *M. Marcello ius triũphandi negatum.* Marcelli etiam & Scipionis repulsis alia causa adiuncta, quòd ad eas res gerendas cum imperio tantùm, sine vllo missi essent Magistratu. Aliud quoque in Triumphis ius diu obseruatum est, vt, quamuis quis præclaras res, *Alia lex triũphandi.* maximéque Reipublicæ vtiles, bello ciuili gessisset, Imperator tamen ab exercitu eo nomine appellatus non est, neque vllæ supplicationes ei à Senatu decretæ sunt, neque aut ouans aut curru triumphauit: quia vt necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt, vtpote non hostili sed domestico partæ cruore. Itaque & Nasica Ti. Gracchum & Opimius C. Gracchi factionem mœsti trucidarunt. Neque Q. Catulus de M. Lepido collega cum omnibus copijs seditiosis extincto, aut C. Antonius de L. Catilina cæso, vel L. Scilla, qui plurima bella ciuilia confecit, de C. Mario, L. Cinna, C. Carbone & L. Norbano vlla ratione triumphare voluerunt. Scilla quoque cùm consummatâ ac constructâ potentiâ suâ Triumphum duceret, vt Græcię & Asiæ multas vrbes, ita ciuium Romanorum oppidum nullum vexit. Cuius rei etiam lauream Senatus nulli vnquam dedit, nec quisquam sibi dari desiderauit, ciuitatis parte lacrymante. Hunc morem plerosque Romanos Imperatores Augustos obseruasse, memorię proditum est. Neque enim C. Cæsar Dictator de Cn. Pompeio ex prœlio Pharsalico, Octauius & Antonius de Bruto & Cassio, Augustus ipse de M. Antonio, Vitellius de Othone, de Vitellio Vespasianus, de Auidio Cassio Marcus, aut denique Seuerus de Pescennio Nigro, vel Clodio Albino, Imperatoribus contra se creatis, triumphare voluerunt. Vetus etiam consuetudo erat, vt quum populi Rom. Ducem res prospere gessisse Romæ nunciatum esset, statim ei à Senatu in aliquot dies ad omnia Templa publicæ

ſupplicationes fierent, quas C. Cæſari bello Gallico occupato frequenter decretas fuiſſe, in eius Commentarijs legimus. Atque hæc ferè ſunt quæ de Triumpho maiore, ſiue curuli, apud veteres ſcriptores extare didicerim.

DE TRIVMPHO NAVALI.

TRiumphorum autem, vt dixi, alij Terreſtres, alij Nauales erant; alij Romæ, alij in monte Albano acti. Ad Triumphos autem Terreſtres & Romæ actos, quæ ſuprà ſatis abunde diximus, pertinent. Cuius primus apud Romanos inſtitutor fuit Romulus. Triumphum verò Naualem, qui concedebatur Imperatori qui claſſem hoſtium ſuperaſſet, de Pœnis primus apud Romanos egit anno Vrbis CDXCIIII. Duilius Conſul: cuius rei ita meminit Florus ex Liuio in Epitome libro XVII. C. Duilius Conſul aduerſus claſſem Pœnorum proſpere pugnauit, primuſque omnium Romanorum Ducum naualis victoriæ duxit Triumphum, ob quam cauſam ei perpetuus quoque honos habitus eſt, vt reuertenti à cœna tibicine canente funale præferretur. Hanc rem ita tradit Polybius. Cn. Cornelius Conſul claſſi præfectus, omnibus nauibus, vbi perfectæ eſſent, ad fretum venire iuſſis, ipſe cum XVII. Meſſanam contendit: inde quum paratis neceſſarijs rebus, quadam oblata ſpe, aliquanto celeriùs, quàm neceſſe erat, Liparas cum XVII. nauibus conceſſit, ibi ab Hannibale, Pœnorum Duce, concluſus & captus eſt. Hannibal cùm ad claſſem Romanorum ſpeculandam iret, atque improuiſò in eam inſtructam incidiſſet, magna ſuarum nauium parte amiſſa, ipſe vix viuus fugit. His rebus auditis C. Duilius pedeſtribus, quibus præerat, copijs Tribunis militum traditis, ad claſſem ſe contulit, ac Pœnos nauali prælio congreſſus deuicit. Hannibal vix Carthaginem incolumis redijt.

C. Duilius Coſ. primũ Naualem Triumphũ duxit.

Et Florus lib. II. cap. II. Duilius victor ad Liparas, merſa & fugata hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit Triumphum: cuius quod gaudium fuit! quum Duilius Imperator, non contentus vnius diei Triumpho, per vitam omnem, vbi à cœna rediret, prælucere funalia, & præcinere ſibi tibias iuſſit, quaſi quotidie triumpharet. Itaque apud Ciceronem Cato ita loquitur: C. Duilium M. F. qui Pœnos primus claſſe deuicerat, redeuntem à cœna ſenem ſæpe vidi, vidi puer; delectabatur crebro funali & tibicine, quæ ſibi nullo exemplo priuatus ſumpſerat: tantam licentiam dabat gloria. Eadem Eutropius libro II. Oroſius libro IIII. cap. VII. Valerius Maximus lib. III. cap. VI. Plinius lib. XXXIIII. cap. V. Cornelius Tacitus lib. II. Auctor de viris illuſtribus, & Frontinus Stratag. lib. XV. cap. VI. Duilio autem ob naualem hanc victoriam ſtatua cum columna roſtrata in foro Romano decreta fuit, cuius meminit Plinius lib. XXXIII. cap. I. & Quintilianus lib. I. cap. de orthographia. Eius autem baſi inſcriptio antiqua illa

Duilio Conſ. decreta fuit columna roſtrata.

ſcribendi


C. Duilios. M.F.M.N. Consol.
Segestan. opidom.
obsidioneD. EXEMET. LEGIONES. Romanas. periculo.
MAXIMOSQVE. MAGISTRATOS. liberavit. civium.
m. NOVEM. CASTREIS. EXFOCIVNT. MACELLam. urbem.
pugNANDO. CEPET. ENQVE. EODEM. MAGIStratu.
rEM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. gessit.
CLASESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PAL. mas,
CVMQVE. EIS. NAVEBOS. CLASEIS. POENICAS. omnes.
SVMAS. COPIAS. CARTAGINENSIS. Prasente. hannibale.
DICTATORED. OLoraM. IN. ALTOD. MARID. pugnando. cum.
quinQVE. naveBOS. ET. CVM. SOCIEIS. SEPTEremem.
triremosQVE. TRIREMOSQVE. NAVEIS. X. cepit.
aurOM. CAPTOM. NVMEI. ↀ ↀ ↀ D CC
argentOM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI.
CAPTOM AES
omnesOQVE. NAVALED. PRAEDAD. POPLO. Numos. donavet.
CARTAGINENSE. N. NVOS L.
EI. CAPT.

ſcribendi ratione inciſa erat, quam ſuperioribus annis in Capitolinis Vrbis ruinis repertam, quantum licuit ex auctoritate veterum ſcriptorum ab Antonio Auguſtino Ilerdenſi Epiſcopo, Carolo Sigonio, & Fuluio Vrſino ſuppletam, nos hîc imprimendam curauimus.

Triu mphos Nauales celeberrimos inter cæteros poſt C. Duilium egerunt Q. Lutatius, qui & ipſe Pœnicam, & Cn. Octauius, qui Macedonicam, claſſes ſuperarunt. Quos in omnibus Terreſtribus Triumphis ſimiles fuiſſe exiſtimo, niſi quòd victoris Ducis currum præcederent nauium & triremium victarum ſimulachra, item currus roſtris nauium, harpagonibus, remis, & cæteris maritimis inſtrumentis eo bello captis onuſti. In reliquis verò cum Triumpho Terreſtri conueniebat.

DE TRIVMPHIS EXTRA VRBEM VEL PRÆTER VETEREM CONSVETVDINEM ACTIS.

Triumphus actus in monte Albano à Papirio Maſone.

DE Triumphis autem in monte Albano actis, & eius inſtituti cauſa, hæc, quæ dicam, habeo. Valerius libro III. cap. VI. Papirius Maſo, quum bene geſta Republica Triumphum à Senatu non impetraſſet, in Albano monte triumphandi & ipſe initium fecit, & cæteris poſtea exemplum præbuit, proque laurea corona, quum alicui ſpectaculo intereſſet, myrtea vſus eſt. In Capitolinis quoq; Triumphorum tabulis ita notatū eſt:

C. PAPIRIVS. C. F. L. N. MASO. COS. AN. DXXII. DE. CORSEIS. PRIMVS. IN. MONTE. ALBANO. III. NONAS MART.

Et Plinius lib. XV. cap. XXIX. L. Piſo tradit, Papirium Maſonem, qui primus in monte Albano triumphauit de Corſeis, Myrto coronatum ludos Circenſes ſpectare ſolitum. Auus maternus inferioris Africani fuit. Sex. Pompeius: Papirius (inquit) myrtea corona vſus eſt, quòd Corſos in campis myrteis ſuperaſſet. Exemplum Papirij ſecutus eſt M. Marcellus, qui victis Syracuſanis, quum Triumphum Senatus ei negaſſet, & ipſe poſtea in monte Albano triumphauit. Diſtat verò hic mons ab vrbe millibus paſſuum XII.

M. Antonius triūphauit Alexandriæ.

M. verò Antonius III. vir R. P. C. Artabaxe Armeniorum Rege proditione potiùs & dolo quàm aperta vi ſuperato, in Cleopatræ gratiam Alexandriam catenis aureis vinctum in Triumphum duxit, ſoluſque omnium Romanorū Ducum fuit qui extra Italiam ante Vrbem Conſtantinopolim conditam triumphauit. Quæ res populum Romanum mæſtitia affeciſſe tradita eſt, quum optima & præcipua patriæ ſuæ ornamenta ſcorti Cleopatræ gratiâ Ægyptijs quoque impartiri ab Imperatore Romano viderent.

Cęterùm vrbe Conſtantinopoli à Magno Conſtantino Imperatore condita, aliquando in ea ab Imperatoribus Romanis triumphatum fuiſſe legitur, vt paulo pòſt demonſtrabo. Aurum autem, argentum, & æs, & cætera

ſpolia

ſpolia de hoſtibus capta, atque in Triumpho abducta, Senatus populiq; Romani erant, eaque in publicum ærarium reponebantur, extractis tamen priùs expenſis, quæ in Triumphi pompa fiebant. Publicis enim ſumptibus triumphari mos erat. Primus autem priuatis ſumptibus triumphauit Appius Claudius Pulcher de Salaſſis ex alpibus, anno Vrbis DCX. Quum enim vel tot millia hoſtium non occidiſſet, quot ad iuſtum Triumphum agendum neceſſe eſſent, vel propter victæ gentis inopiam parum auri, vel argenti, aut æris in ærarium detuliſſet, ob idque ei à Senatu Triumphi impenſæ negatæ fuiſſent, priuatis ſumptibus triumphauit, honoris magis quàm diuitiarum habita ratione.

Quum autem, vt dixi, de Triumpho agendo primò Senatus, deinde populus decerneret; ſæpe vſu venit, vt aliquot Imperatores apud alterutram ciuitatis partem minùs gratioſi, vel tantùm iuſſu populi, iniuſſu verò Senatus, aut ex S.C. ſine populi iuſſu triumpharint. Primus P. Seruilius Priſcus Conſul anno Vrbis CCLVIII. de Volſceis ſine S.C. triumphauit, vt tradit Dionyſius. Primi quoque omnium non ſolùm ſine S. C. ſed inuitis Patribus, populi tantùm iuſſu, triumpharunt Conſules L. Valerius Potitus de Æqueis, & M. Horatius Barbatus de Sabinis, anno Vrbis CCCIIII. Et è conuerſo virgo Veſtalis Claudia fratrem iniuſſu populi triumphantem aſcenſo ſimul curru vſque in Capitolium proſecuta eſt, ne vetare aut intercedere fas cuiquam Tribunorum eſſet. Ita Tranquillus in Tiberio, cap. II. ſed pauca admodum eiuſmodi exempla reperiuntur. Atque hactenus de Triumphis maioribus, nunc de Ouatione ſiue Triumpho minori diſſeramus.

DE OVATIONE.

OVationem quam Dionyſius lib. v. & Plutarchus in Marcello, minoris Triumphi genus eſſe memoriæ prodiderunt, ab oue dictam putat Plutarchus, quam, qui hoc Triumphi genere ornabantur, ſacrificabant; quemadmodum qui maiorem Triumphum agebant, taurum in Capitolium venientes immolabant. Plutarchi ſententiam ſequutus eſt Seruius Grammaticus in lib. 4. Æneidos, ſuper illud, *Sola fuga nautas comitabor ouantes*; vbi ita ait: Qui Ouationem meretur, vno equo vtitur, & à plebeijs vel equitibus Romanis in Capitolium deducitur, & de ouibus ſacrificat, vnde & Ouatio dicta. *Ouatio vnde dicta ſit.* Qui autem triumphat, albis equis vtitur 4. & Senatu præeunte in Capitolio de tauris ſacrificat. Sex. autem Pompeius, Ouantes, inquit, lætantes dicuntur, ab eo clamore quem faciunt redeuntes à pugna victores milites, geminata O littera. quod idem etiam Dionyſio placet, qui ait: Quaſi verò Romani, Euaſtin, Græcorum vocem, quæ clamorem ſignificat, Ouationis nomine voluerint interpretari.

Erat autem Ouatio minor (vt dixi) Triumphus, qui agebatur quum belli Duces rebus quidem proſpere geſtis, non tamẽ ita magnis vt iuſto Trium-

IN ONVPHRII PANVINII TRIVMPHOS ROMANORVM.

Romanos quicunque cupis ſpectare Triumphos,
Victorique datos pompæ ſolennis honores;
Inſpice quæ doctus conſcripſit Onuphrius olim,
Quæque etiam Artificis ſolers ſolido manus æri
Inſculptis pulchra nunc exhibet arte figuris.
Laude quidẽ egregia celebrari dignus vterque:
Vt bonus hic ſculptor, ſcriptor ſic ille peritus.

Corn. Kil. Duffl.

F. ONOPHRII PANVINII, EREMITAE AVGVSTINIANI, DE TRIVMPHO COMMENTARIVS.

DE Triumpho eiusque pompa scripturus, primum ab eius verbi significatione scribendi initium sumam. Triumphi igitur etymologiam non omnes vna ratione veteres exponunt scriptores: nam M. Varro libro v. de lingua Latina à Baccho Triumphi inuentore tractum nomen putat, cui Triumphantis cognomen fuit: milites enim cum Imperatore victores redeuntes per Vrbem, in Capitolium eunti Duci, Io triumphe, clamitabant; quod nomē à θρίαμβος, Græca voce, Liberi Patris cognomine, deriuatum est. Nam Bacchus, cùm post victoriam Indicam primus triumpharet, milites eius ficorum folijs, quæ θρία dicuntur, vultus cooperuerunt, clamitantes, Io thriambe Bacche, io thriambe Bacche; vnde Baccho cognomen inditum θρίαμβος, hoc est, Triumphans. Sic milites Romani, Io triumphe, Græcā in Latinam vocem vertentes, dicebant. Itaque Liuius libro XLV. ait: Milites Laureati Triumphum nomine cient. Verba autem Varronis sunt hæc: Sic triumphare appellatum, quòd cum Imperatore milites redeuntes clamitant per Vrbem in Capitolium eunti, Io triumphe, io: idque à θριάμβω Græco Liberi Patris cognomento potest dictum esse. Tranquillus autem ideo existimat dici Triumphum, quòd qui triumpharet, triplici iudicio honoraretur: primò enim exercitus de Triumpho decernendo Duci iudicabat, secundò Senatus, tertiò populus. Alij Triumphum nomen Græcum esse putant: quod enim θρίαμβον appellant Græci, Latini aspiratione ex prima in nouissimam syllabam translata, & b in p mutata, Triumphum dixerunt. Triumphi deriuatio.

Erat autem Triumphus inter honores omnes, qui à S. P. Q. R. dari solebant, eximius. Pompa scilicet solemnis illa, quam is, qui auspicijs suis hostibus prœlio deuictis in Vrbem cum incolumi exercitu redibat, Senatus primùm decreto, pòst etiam iussu populi consequebatur. Triumphum autem primus omnium post homines natos, Indiâ debellatâ, apud Græcos (vt dixi) Bacchus Thebanus, Iouis & Semeles filius, instituit, qui & Liber Pater dictus est, vt Solinus cap. 53. scriptum reliquit. Quis autem apud Romanos primus Triumphum egerit, parum inter scriptores conuenit. Dionysius enim libro 2. Plutarchus in Romulo & Messalla Romulum huius instituti auctorem fuisse scribunt. Qui etiam illud tradunt, ab alijs quibusdam L. Tarquinio Prisco Regi hoc tribui: quos Florus & Eutropius lib. 1. sequuti sunt, & fortasse etiam Liuius, qui nullius regij Triumphi meminit, nisi eius, quem L. Tarquinius Priscus de Sabinis egit. Quam tamen controuersiam dirimit in Romulo Plutarchus, qui Priscum quidem primum fuisse putat, qui curulem in Vrbe Triumphũ inuexerit, sed, qui triumphandi morem instituerit, Romulũ. Is enim Acrone Cæninensium Rege interfecto, Cænina, Antemnis, & Crustumerio Sabinorum oppidis captis, pedibus triumphauit, non curru, vt Dionysius tradit. Quare Plutarchus Dionysium ipsum meritò reprehendit, qui Romulũ curru Vrbem ingressum in Triumpho scripsit, cùm tamen minimè Romulus, sed aut Priscus, aut, vt alij tradiderunt, Poplicola consul primus Vrbem curru Triumphi caussa inuectus sit.

Bacchus Triumphũ instituit.

Romulus pedibus triumphauit.

Triumphorum porrò duo genera fuerunt. Vnus maior, qui præcipuè Triumphus; alter minor, quæ Ouatio appellata est. Ex Triumphis maioribus alij Terrestres, alij Nauales. Ex Terrestribus alij in Vrbe, alij in monte Albano acti. Hi verò cuiusmodi, quíue primi, & quo anno, aut qua caussa instituti fuerint, ac quid inter Triumphum & Ouationem interfuerit, sigillatim paulo pòst demonstrabo. Quum autem Triumphi honos omnium maximus, stante Republica, omnibusque communis semper fuerit; ea euersa, Imperatoribus tantùm dari cœpit, atque pro Triumpho triumphalia ornamenta ab Augusto Cæsare populi Romani Ducibus, ob res bello præclarè gestas, decerni cœpta sunt. Quæ cuiusmodi fuerint, suo loco exponam; ante omnia autem de Triumpho maiore, qui præcipuè Triumphus dicebatur, disseramus.

Triumphus Terrestris & Naualis

Illud igitur in primis animaduersione dignum, diuersam Triumphorum rationem fuisse. Nam re ab exiguis exorta initijs, tenues principiò exilesque Triumphi fuere: deinde, crescente paulatim P. Romani ditione ac potestate, ingentes atque opulentissimi fieri cœperunt. Ex gentium enim & populorum deuictorum conditione vel tenuiores vel sumptuosiores fiebant. Itaque quum primis illis temporibus exigua oppida in deditionem populi Romani venirent, debiles erant; postea verò, quum integræ Prouinciæ &

Regna

Regna à populo Romano subacta sunt, sumptuosissimi fieri cœperunt: quod his verbis docet Dionysius libro 2. Vrbe Cænina capta, arma tradi iussit; acceptisque pueris obsidibus, quos voluit, in Antemnates vertitur, palantesq; eos & dispersos ad prędam inopinato superuentu capit; eodemq; modo de his quo de prioribus decernens, exercitum domum reduxit; spolia etiam adducens bello capta, Deisque prædæ primitias consecrans, ac multa simul faciens sacrificia: vltimus autem ipse post pompam ibat, purpurea veste amictus, comamque lauro coronatus, &, vt dignitatem regiam seruaret, curru quadriiugo inuectus; aliæ verò equestres pedestresque copiæ sequebantur, egregiè instructæ, Deos laudantes patrijs carminibus, ac Ducem suum extemporalibus versibus extollentes. Ex Vrbe verò cuncti eis obuiam prodiere, cum vxoribus & liberis ex vtraque viæ parte, simul & ob victoriam gaudentes, & omnem præ se ferentes comitatem: vtque Vrbem inierunt, crateribus occurrunt vino plenis, mensisque omnium generum cibis refertis, expositis ipsis apud illustros familias, vt paratæ essent volentibus. Victoriosa itaque & tropheaphora pompa & immolatio, quam Romani Triumphum vocant, primùm à Romulo instituta, talis fuit. *Qualis fuerit triumphus tempore Romuli.*

Ætate autem nostra sumptuosissima & insolens, & ad ostentationem potiùs diuitiarum, quàm ad virtutis existimationem decantata, omnem prorsus formam exuit priscæ tenuitatis. Post pompam autem & sacrificium Romulus templum in Capitolio Ioui Feretrio extruxit, &c. Ceterùm, vt scribit Plutarchus, eum, qui triumphabat, Vrbem ingredi pedibus primò mos fuit, captiuis præcedentibus, & exercitu subsequente, vt fecit Romulus. Mox Tullus Hostilius equo vectus de Albanis, Fidenatibus, & Sabinis triumphauit. Idem fecit Ancus Martius, quum de Veientibus & Sabinis victis Triumphum duceret. Primus quadriga vsus secundo Triumpho suo, quem de Etruscis egit L. Tarquinius Priscus, vel (vt alijs placet) P. Valerius Poplicola Consul. Albis equis ad currum iunctis primus triumphauit de Veientibus M. Furius Camillus Dictator. Postea passim triumphalis pompa ita aucta est, vt nihil speciosius in vrbe videri possit. Ego autem, quo ab antiquitatum studiosis gratiam aliquam ineam, hîc apponere eius generis Triumphorum, quos sumptuosissimos fuisse refert Dionysius, descriptionem institui, quam ex Iosepho, Plutarcho, Appiano, Zonara, & alijs plerisque scriptoribus excerptam hac ratione concinnaui.

REP. bene gesta, egregia victoria parta, & rebus Triumpho dignis actis, pop. Rom. Dux statim à militibus Imperator appellatus, fasces laureatos per cursores in Vrbem mittebat. Quum verò ipse incolumi cum exercitu domum reuersus esset, Senatus ei intra ædem Bellonæ, extra Vrbem, in Campo Martio dabatur, vbi, quæ gesserat, exponere, debitumque Triumphum petere posset; nemini enim triumphaturo Vrbem ingredi ante Trium-

Triumphum licebat. Tum si res ab eo gestæ Triumpho dignæ Senatui visæ fuissent, à Senatu primò, deinde à populo, cùm Imperatoris nomen ei confirmatum esset, ei decernebatur, vt ei triumphanti Vrbem inire liceret, diesque certa Triumpho statuebatur.

Quòd si Imperator, Dictator, aut Consul, vel Prætor non fuisset, atque ob eam caussam imperium intra Vrbem habere non posset, (Proconsules enim & Proprætores intra Vrbis mœnia cum imperio esse non poterant) tunc, quo triumphanti ei cum imperio Vrbem ingredi liceret, lex comitijs curiatis ferebatur de imperio eius Ducis intra Vrbem per diem vel dies Triumphi habendo: nam neque priuatis triumphare licebat; qua lege lata, dieque Triumpho decreto, Imperator triumphali habitu amictus, armillis sumptis, laurea redimitus, & ramum lauri dextra tenens, milites ad concionem conuocabat. Vbi militibus & publicè & priuatim laudatis pecuniam donabat, & ornamenta, vt armillas, torques, hastas puras; id est, sine ferro, coronas alijs aureas, alijs argenteas, expresso in his & nomine, & hominis præclarè gestis. Nam qui murum primus conscenderat, aut oppidum expugnauerat, ei corona muralis & obsidionalis dabatur; qui classe vicerat, coronâ rostratâ donabatur; qui verò ciuem in prælio obsidione alioue periculo liberauerat, quum summam laudem assequebatur, tum ciuicâ honorabatur, quernâ coronâ, cuius honos omnibus argenteis & aureis præferebatur; qui verò equestri pugna vicerat, aliud ei quoddam pugnæ equestris specimen fingebatur, quo ab Imperatore donaretur. Cui rei cognoscendæ non parum auxilij adfert Epigramma L. Sicinij Dentati, ex Varrone, Plinio, & Valerio Maximo lib. 3. cap. 2. formatum, & in antiquis Epigrammatibus Vrbis exaratum est ita:

Militarium donorum distributio.

Militarium coronarum differentia

L. SICINIVS. DENTATVS. TRIB. PL.
CENTIES. VICIES. PRÆLIATVS. OCTIES. EX. PROVOCATIONE. VICTOR. XLV. CICATRICIBVS. ADVERSO. CORPORE. INSIGNIS. NVLLA. IN. TERGO. IDEM. SPOLIA. CEPIT. XXXIIII. DONATVS. HASTIS. PVRIS. IIXX. PHALERIS. XXV. TORQVIBVS. III. ET. LXX. ARMILLIS. CLX. CORONIS. XXXV. CIVICIS. XIII. AVREIS. VIII. MVRAL. III. OBSIDIONAL. I. FISCO. ÆRIS. X. CAPTIVIS. XX. IMPERATORES. VIII. IPSIVS. MAXIME. OPERA. TRIVMPHANTES. SECVTVS.

Porrò autem hæc dona non viritim, sed cohortibus & legionibus integris præbebantur. Spoliorum pars inter milites distribuebatur, his ex-

ceptis quæ Triumpho seruabantur. Fuerunt etiam Imperatores, qui die Triumphi populo Romano epulum & congiarium dederint, sumptusq; ad spectacula publica edenda elargiti fuerint. Quod supererat, vel in armamentarium aut ærarium deferebatur, aut in fana, porticus, ianos, atria, arcus, & alia publica opera conferebatur. His peractis, Imperator currum conscendebat, neque bellicis, neque ijs similem, quorum in Circensibus vsus erat, sed instar turris rotundæ confectum, quemadmodum ex antiquis nummis & Titi Imperatoris arcu Romæ intelligi & cognosci potest. Interea dum hæc extra Vrbem ab Imperatore triumphaturo geruntur, populus Romanus ipso Triumphi die candidis vestibus amictus, omnibus circis & locis circa forum, & alijs Vrbis partibus, per quas triumphans transiturus erat, tabulatis ad hoc ex lignis compositis insidens, sese ad spectandum Triumphum præparabat, ita vt nemo pænè ex infinita illa populi Romani multitudine domi remaneret: qui verò in tabulatis considere non poterant, ob frequentem ad spectandum conuenientem multitudinem, vix concesso necessario transitu, per varia Vrbis loca discurrentes, vbi spectandis tantùm Imperatoribus locus sufficeret, consistebant. Viæ Vrbis & Templa aperta sertis vaporibusque suauissimis repleta erant. Ante omnia vniuersus Senatus obuius ibat vsque ad Vrbis portam Duci triumphaturo, ibique paululum opperiebatur, donec tempus triumphandi aduenisset, omniaque Triumphi insignia & ornamenta disponerentur. Tum multitudo ministrorum baculos manibus gestantium ex medio dimouebant turbas, & vias apertas ac sine impedimento plebis præstabant. Hinc pompæ initium vel à porta Capena, quæ Triumphis vehendis commoda erat; vel ab ea, qua triumphans ingressurus esset, inchoabatur. Primò enim vniuersus Senatus Capitolium versus præibat: post Senatum tubicines cum tubis classicum resonantibus, sertisque redimiti, currus spolijs refertos præcedebant, quibus tabulæ eburneæ & æreæ, colossus, signa, ligneç turres, & captarum vrbium, castellorum, montium, fluuiorum, paludum, marium, & omnium denique, quæ capta erant, simulachra vehebantur, scripturis imaginibusque adiectis gestorum seriem explicantibus. Deinde ferebatur aurum, argentum, & æs partim rude & graue, partim figuris quibusdam impressum. Pòst tabulæ & signa aurea, argentea, ærea, & eburnea videbantur. Gemmarum quoque, purpuræ, cocci, vestium byssinarum, vel auro intextarum, ingens copia. Item coronæ, quas virtutis ergò vrbes, aut socij, aut exercitus Vrbi parentes, militibus dedissent, aureæ & argenteæ, vel ex alia materia, adducebantur. Sequebantur post hęc pulcherrima & ornatissima gentium victarum arma, multis curribus lata, ære ferroque absterso & polito splendentia, atque ita disposita, vt casu maximè sic cecidisse viderentur. Erant autem galeę, scuta, thoraces, ocreę Cretenses, peltæ Thraciæ, & Celtæ, pharetræque, equorum frena,

Triumphi maioris enarratio.

enses nudi, & gladij, sagittæ infixæ, arcusque, pila, sarissæ, & cætera eiusmodi missilia, ita vt nec victorum quidem absque metu esset aspectus. Post armorum currus aliquot virorum millia sequebantur, qui in vasis argenteis numismata ferebant aurea argenteaque. Alij verò crateras argenteas, phialas aureas, calicesque ornatissimos & magnos certo ordine ferebant. Postea alij tubicines aderant non mite aut suaue, sed bellicum præcinentes. Post hos quinquaginta, aut centum, aut plus vel minus boues, iuxta triumphantis opes, cornibus auratis, infulis & sertis ornati, ab adolescentibus popis succinctis ad immolandum ducebantur. Postea sequebantur pueri Camilli, qui aureas & argenteas pateras sacrificij caussa deferebant. Post, si eo bello capti essent, elephanti adducebantur. Omnes autem Triumphorum ministri sericis purpureisque & auro intertextis vestibus induti erant. Post hæc captorum Ducum & Regum currus, arma, diademata super armis imposita vehebantur. Deinde hostium Reges seu Duces, cum filijs, fratribus, & sororibus, omnibusque, si qui essent, familiaribus veniebant, lachrymantes, casumque captiuitatis dolentes. Post hæc multa hostium millia manibus post tergum reuinctis deducebantur, qui ex omnibus hostium exercitibus captis pulchriores & elegantiores vastioreque & proceriore corpore selecti fuerant, atque ad Triumphum exornandum reseruati. Ferebantur etiam aureæ coronæ, quibus Imperatorem ipsum virtutis ergô vrbes in libertatem vindicatæ, seu sociæ ciuitates, donauerant. Sequebatur deinde Dux ipse, seu populi Romani Imperator, aurato curru, à quatuor albis equis vectus, toga purpurea triumphali auro intertexta amictus, in capite lauream seu auream lapillis gemmisque ornatam coronam gestans, dextra laurum, sinistra verò eburneum sceptrum tenens. Imperatoris currum, si Prætor vel Proprætor fuisset, sex; si Consul vel Proconsul, XII. si Dictator vel Augustus, XXIIII. Lictores cum fascibus & securibus laureatis, purpureis vestibus amicti, præcedebant. Circum currum verò citharœdorum ac tibicinum turba veniebat, modulis elegantissimis concinnantes: hi succincti, coronisque aureis redimiti, suo quique ordine psallentes canentesque prodibant. Horum in medio quidam stabat talari veste, fimbrijs ac armillis auro splendentibus amictus, qui gestus varios edebat; hostibusque deuictis insultans, risus vndique ciebat. Postea thuris & Arabum odorum suffimenta Imperatorem vndique comitabantur. In ipso verò Imperatoris curru pone triumphantem quidam publicus minister vehebatur, coronam auream, gemmis distinctam, supra caput eius tenens, qui à tergo sæpe illud insusurrabat, quod refert Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes: RESPICE POST TE, ET HOMINEM MEMENTO TE: memorans ne illa felicitate elatus, humanæ conditionis obliuisceretur, sed reliquæ vitæ cursum præuideret, nec eo honore superbiret. Appensa erat etiam currui nola, & flagellum,

Duces & Reges captiui.

lum, quæ innuebant eum in tantas calamitates posse incidere, vt aut flagello cęderetur, aut capitis damnaretur. Nam qui ob facinus extremo supplicio afficiebantur, nolas gestare solebant, ne quis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret. Neque tamen Imperator solus eo curru vehebatur: sæpius enim in eodem triumphantis curru adducebantur pueri, virginesque, puellæ, vel cognatorum filij, aut nepotes. Ad equorum verò habenas hinc inde cognati iuuenes, vel etiam ipsis insidentes, eos dirigebant, vt in Triumpho Augusti Marcellum dextro, Tib. verò Neronem sinistro funali equo insedisse legimus. Si plures verò erant, equis singularibus victorem comitabantur. Cæterorum verò ciuium adequitabat nemo, sed laureati omnes sequebantur. Post currum ministri primò, & scutiferi, mox Legati Imperatoris, & Tribuni, deinde exercitus omnis sequebatur, in legiones, cohortes, centurias, & manipulos distinctus: erantque milites omnes laureis sectis redimiti, laurumque manibus ferebant, coronasque, quibus virtutis ergò ab Imperatore donati fuerant. Hi currum Imperatoris triumphantis sequebantur, partim carmina patria salibus & risu permixta, partim Ducis laudes canentes: & quum hoc ordine ita processisset pompa, omnes in Capitolium per forum Romanum ascendebant, vbi Consules & reliqui Magistratus & vniuersus Senatus Imperatorem triumphantem expectabant. Quum autem triumphans in forum Romanum venisset, aliquot captiuorum Duces in carcerem duci occidique iubebat, ipseque deinde in Capitolium ire pergebat. Vbi cùm ventum esset, antequam sacrificium inchoaretur, mos erat antiquis tantisper opperiri, donec ipsius hostium Ducis mortem quispiam nuntiaret: quod postquam factum esse nuntiatum fuisset, tunc taurorum & aliarum hostiarum immolationes inchoari consuetudo erat. Quibus rite peractis, donarijsque quibusdam dedicatis, quum in porticibus ibi cœnatus esset, vesperi tibijs & fistulis antecedentibus domum redibat; quem reliqui omnes ciues comitati, posteà singuli ad propria diuertebantur. *Captiuorũ Duces cæsi in Triumpho.*

Atque hic ferme erat amplissimorum Triumphorũ ordo, qui vel apparatiores aliquando, vel etiam tenuiores erant, prout fuerant gentis vel Regis deuicti opes & potentia: si enim plura spolia bello acquisita fuissent, ea ordine à me relato in Triumpho ducebantur; si pauciora, eadem ratione post Senatum ante currum victoris Ducis deferebantur, exercitu subsequente. Porro autem vno die singulos Triumphos agi mos erat: sed quum aliquando accidisset, vt propter prædæ, spoliorum, & gentium victarum multitudinẽ pompa triumphalis vno die vehi non posset, ea in biduum vel in triduũ diuidebatur, vt factũ est Triumphis Macedonicis T. Flaminij ex Philippo, L. Pauli ex Perse, item Cn. Pompeij Magni ex Mithridate. Duos Imperatores vno curru triumphali vehi, quamquã vnà bellum aliquod confecissent, nunquã inuẽni: singulis Triumphos decerni mos erat.

Vespasianus & Titus eodem curru triumpharunt. Primi omnium Romanorum Ducum Vespasianus Augustus & Titus Cæsar Iudaicum Triumphum vno curru vecti vnà egerunt, post quos à sequentibus Imperatoribus id aliquando vsurpatum. Ius autem triumphandi non habebat, nisi is Magistratus, cui lege curiata à populo Rom. imperium permissum erat, cuiusque vnius auspicijs id bellum gestum fuisset: hi autem erant Rex, Dictatores, Consules, Proconsules, Prætores, & Proprætores, postremò Imperatores & Cæsares. Moris autem erat, ab Imperatore, si Consul aut Dictator non esset, Triumphum ducturo Consules inuitari ad cœnam; deinde rogari, vt venire supersedeant, ne quis eo die, quo is triumphauerit, maioris in eodem conuiuio esset imperij.

Hæc ex Dionysio libro v. in Triumpho Poplicolæ, Iosepho libro VII. cap. XXIIII. de bello Iudaico, Valerio Maximo libro II. cap. III. de iure Triumphi, & Ioanne Zonara Historiarum tomo II. Plutarcho in vita Pauli Æmilij, Appiano Alexandrino in Libyco, Seruio super Virgilium, excepta collegi.

De triumphali pompa sic M. Cicero in L. Pisonem scribit: Differis de Triumpho quid tandem sit iste currus? quid victi ante currum Duces? quid simulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis, & Tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid vehi per Vrbem? Seruius quoque libro IIII. Æneidos super illud, *Sola fuga nautas comitabor ouantes*; Qui triumphat (inquit) albis equis vehitur quatuor, & Senatu præeunte in Capitolio de tauris sacrificat. Porrò autem quum animaduerterimus Triumphum omnium honorum apud Romanos maximum fuisse; verisimile est, plerosque fuisse Imperatores, qui ob leuia *Lex triumphalis.* prælia Triumphos sibi decerni desiderarint: quibus vt occurreretur, lege cautum est, ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium vna acie cecidisset: non enim numero, sed gloria Triumphorum excelsius Vrbis futurum decus maiores existimabant. Cæterùm ne tam præclara res cupiditate laureæ obliteraretur, legis alterius adiutorio fulta est, quam L. Marius & M. Cato Tribuni plebis tulerunt. Pœnam enim Imperatoribus minati sunt, qui aut hostium occisorum in prælio, aut amissorum ciuium falsum numerum in litteris Senatui ausi essent referre: iubebatque eos, cùm primùm ad Vrbem accessissent, apud Quæstores vrbanos iurare, de vtroque numero verè ab his Senatui esse scriptum.

Porrò Triumphi decernendi Senatus munus erat, vt apud omnes veteres auctores constat, & præsertim Pedianum in Corneliana: verùm & populus Senatus-consultum sciebat. In omnibus verò bellis, victis hostibus, ius triumphandi semper fuit eius, cuius imperium maius erat, cuiusque auspicijs bellum gestum esset, etsi bello absens fuisset. Nam Prætorem, qui & ipse imperium habebat, auspicijs tamen consularibus bellum gerentem, vicisse inuenimus absente aut etiam ægro Consule, ius tamen ob eam victoriam

ctoriam triumphandi Consuli potissimùm adiudicatum esse. Cuius rei exemplum nobis affert Valerius Maximus lib. III. cap. III. de iure triumphandi, de Q. Lutatio Cónsule, & Q. Valerio Falcone Prætore, qui bello Punico primo, cùm circa Siciliam insignem Pœnorum classem deleuisset, Consule Lutatio pugnæ tempore in lectica claudo iacente, eiusdem tamen rei nomine Lutatio Consuli, cuius auspicijs bellum gestum fuisset, Triumphum Senatus decreuit. Quem cùm Valerius sibi quoque decerni desideraret, negauit id fieri oportere Lutatius, ne in honore Triumphi minor potestas maiori æquaretur. Atque ita, quum Prætor vicisset, triumphauit Consul, cuius in eo bello auspicia fuissent.

Cæterùm inter varia triumphandi iura erat & altera lex, quæ iubebat, vt tantùm pro aucto imperio, non pro recuperatis quæ pop. R. fuissent, Triumphus decerneretur. Quare Q. Fuluio de Capua recepta, L. Opimio de Fregellanis ad deditionem compulsis, P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, & M. Marcello ob captas Syracusas, ius triumphandi ab amplissimo ordine summa obseruandi eius iuris diligentiâ negatum est: omnes quidem editis operibus magnifici, sed rei petitæ nequaquam compotes. *M. Marcello ius triũphandi negatum.* Marcelli etiam & Scipionis repulsis alia causa adiuncta, quòd ad eas res gerendas cum imperio tantùm, sine vllo missi essent Magistratu. Aliud quoque in Triumphis ius diu obseruatum est, vt, quamuis quis præclaras res, *Alia lex triũphandi.* maximéque Reipublicæ vtiles, bello ciuili gessisset, Imperator tamen ab exercitu eo nomine appellatus non est, neque vllæ supplicationes ei à Senatu decretæ sunt, neque aut ouans aut curru triumphauit: quia vt necessariæ istæ, ita lugubres semper existimatæ victoriæ sunt, vtpote non hostili sed domestico partæ cruore. Itaque & Nasica Ti. Gracchum & Opimius C. Gracchi factionem mœsti trucidarunt. Neque Q. Catulus de M. Lepido collega cum omnibus copijs seditiosis extincto, aut C. Antonius de L. Catilina cæso, vel L. Scilla, qui plurima bella ciuilia confecit, de C. Mario, L. Cinna, C. Carbone & L. Norbano vlla ratione triumphare voluerunt. Scilla quoque cùm consummatâ ac constructâ potentiâ suâ Triumphum duceret, vt Græciç & Asiæ multas vrbes, ita ciuium Romanorum oppidum nullum vexit. Cuius rei etiam lauream Senatus nulli vnquam dedit, nec quisquam sibi dari desiderauit, ciuitatis parte lacrymante. Hunc morem plerosque Romanos Imperatores Augustos obseruasse, memoriç proditum est. Neque enim C. Cæsar Dictator de Cn. Pompeio ex prœlio Pharsalico, Octauius & Antonius de Bruto & Cassio, Augustus ipse de M. Antonio, Vitellius de Othone, de Vitellio Vespasianus, de Auidio Cassio Marcus, aut denique Seuerus de Pescennio Nigro, vel Clodio Albino, Imperatoribus contra se creatis, triumphare voluerunt. Vetus etiam consuetudo erat, vt quum populi Rom. Ducem res prospere gessisse Romæ nuntiatum esset, statim ei à Senatu in aliquot dies ad omnia Templa publicæ

supplicationes fierent, quas C. Cæsari bello Gallico occupato frequenter decretas fuisse, in eius Commentarijs legimus. Atque hæc ferè sunt quæ de Triumpho maiore, siue curuli, apud veteres scriptores extare didicerim.

DE TRIVMPHO NAVALI.

TRiumphorum autem, vt dixi, alij Terrestres, alij Nauales erant; alij Romæ, alij in monte Albano acti. Ad Triumphos autem Terrestres & Romæ actos, quæ suprà satis abunde diximus, pertinent. Cuius primus apud Romanos institutor fuit Romulus. Triumphum verò Naualem, qui concedebatur Imperatori qui classem hostium superasset, de Pœnis primus apud Romanos egit anno Vrbis CDXCIIII. Duilius Consul: cuius rei ita meminit Florus ex Liuio in Epitome libro XVII. C. Duilius Consul aduersus classem Pœnorum prospere pugnauit, primusque omnium Romanorum Ducum naualis victoriæ duxit Triumphum, ob quam causam ei perpetuus quoque honos habitus est, vt reuertenti à cœna tibicine canente funale præferretur. Hanc rem ita tradit Polybius. Cn. Cornelius Consul classi præfectus, omnibus nauibus, vbi perfectæ essent, ad fretum venire iussis, ipse cum XVII. Messanam contendit: inde quum paratis necessarijs rebus, quadam oblata spe, aliquanto celeriùs, quàm necesse erat, Liparas cum XVII. nauibus concessit, ibi ab Hannibale, Pœnorum Duce, conclusus & captus est. Hannibal cùm ad classem Romanorum speculandam iret, atque improuisò in eam instructam incidisset, magna suarum nauium parte amissa, ipse vix viuus fugit. His rebus auditis C. Duilius pedestribus, quibus præerat, copijs Tribunis militum traditis, ad classem se contulit, ac Pœnos nauali prælio congressus deuicit. Hannibal vix Carthaginem incolumis redijt.

C. Duilius Cos. primus Naualem Triumphum duxit.

Et Florus lib. II. cap. II. Duilius victor ad Liparas, mersa & fugata hostium classe, primum illum maritimum egit Triumphum: cuius quod gaudium fuit! quum Duilius Imperator, non contentus vnius diei Triumpho, per vitam omnem, vbi à cœna rediret, prælucere funalia, & præcinere sibi tibias iussit, quasi quotidie triumpharet. Itaque apud Ciceronem Cato ita loquitur: C. Duilium M. F. qui Pœnos primus classe deuicerat, redeuntem à cœna senem sæpe vidi, vidi puer; delectabatur crebro funali & tibicine, quæ sibi nullo exemplo priuatus sumpserat: tantam licentiam dabat gloria. Eadem Eutropius libro II. Orosius libro IIII. cap. VII. Valerius Maximus lib. III. cap. VI. Plinius lib. XXXIIII. cap. V. Cornelius Tacitus lib. II. Auctor de viris illustribus, & Frontinus Stratag. lib. XV. cap. VI. Duilio autem ob naualem hanc victoriam statua cum columna rostrata in foro Romano decreta fuit, cuius meminit Plinius lib. XXXIII. cap. I. & Quintilianus lib. I. cap. de orthographia. Eius autem basi inscriptio antiqua illa

Duilio Cons. decreta fuit columna rostrata.


C. Duelios. M.F.M.N. Consol
Segestan. opidom.
obsidioned. EXEMET. LECIONES. Romanas. periculo.
MAXIMOSQVE. MAGISTRATOS. liberavit. civitem.
NOVEM. CASTREIS. EXFOCIVNT. MACELLam. urbem.
pugNANDO. CEPET. ENQVE. EODEM. MAGIStratu.
REM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS gessit.
CLASESQVE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PAL mas.
CVMQVE. EIS. NAVEBOS. CLASEIS. POENICAS. omnes.
SVMAS. COPIAS. CARTACINENSIS. Praesente. hannibale.
DICTATORED. OLoroM. IN. ALTOD. MARID. pugnando. cum.
quinqve. naveBos. ET. cum. SOCIEIS. SEPTEremem.
triremosqve. TRIREMOSQVE. NAVEIS. X. cepit.
auroM. CAPTOM. NVMEI. ↀ ↀ ↀ DCC
argentoM. CAPTOM. PRAEDA. NVMEI.
CAPTOM AES
OQVE. NAVALED. PRAEDAD. POPLO. Romanom. donavet.
CARTACINENSI. N. ...... NVOS I.
EI.... CAPT.

ſpolia de hoſtibus capta, atque in Triumpho abducta, Senatus populiq; Romani erant, eaque in publicum ærarium reponebantur, extractis tamen priùs expenſis, quæ in Triumphi pompa fiebant. Publicis enim ſumptibus triumphari mos erat. Primus autem priuatis ſumptibus triumphauit Appius Claudius Pulcher de Salaſſis ex alpibus, anno Vrbis DCX. Quum enim vel tot millia hoſtium non occidiſſet, quot ad iuſtum Triumphum agendum neceſſe eſſent, vel propter victæ gentis inopiam parum auri, vel argenti, aut æris in ærarium detuliſſet, ob idque ei à Senatu Triumphi impenſæ negatæ fuiſſent, priuatis ſumptibus triumphauit, honoris magis quàm diuitiarum habita ratione.

Quum autem, vt dixi, de Triumpho agendo primò Senatus, deinde populus decerneret; ſæpe vſu venit, vt aliquot Imperatores apud alterutram ciuitatis partem minùs gratioſi, vel tantùm iuſſu populi, iniuſſu verò Senatus, aut ex S.C. ſine populi iuſſu triumpharint. Primus P. Seruilius Priſcus Conſul anno Vrbis CCLVIII. de Volſceis ſine S.C. triumphauit, vt tradit Dionyſius. Primi quoque omnium non ſolùm ſine S. C. ſed inuitis Patribus, populi tantùm iuſſu, triumpharunt Conſules L. Valerius Potitus de Æqueis, & M. Horatius Barbatus de Sabinis, anno Vrbis CCCIIII. Et è conuerſo virgo Veſtalis Claudia fratrem iniuſſu populi triumphantem aſcenſo ſimul curru vſque in Capitolium proſecuta eſt, ne vetare aut intercedere fas cuiquam Tribunorum eſſet. Ita Tranquillus in Tiberio, cap. II. ſed pauca admodum eiuſmodi exempla reperiuntur. Atque hactenus de Triumphis maioribus, nunc de Ouatione ſiue Triumpho minori diſſeramus.

DE OVATIONE.

OVationem quam Dionyſius lib. V. & Plutarchus in Marcello, minoris Triumphi genus eſſe memoriæ prodiderunt, ab oue dictam putat Plutarchus, quam, qui hoc Triumphi genere ornabantur, ſacrificabant; quemadmodum qui maiorem Triumphum agebant, taurum in Capitolium venientes immolabant. Plutarchi ſententiam ſequutus eſt Seruius Grammaticus in lib. 4. Æneidos, ſuper illud, *Sola fuga nautas comitabor ouantes*; vbi ita ait: Qui Ouationem meretur, vno equo vtitur, & à plebeijs vel equitibus Romanis in Capitolium deducitur, & de ouibus ſacrificat, vnde & Ouatio dicta. *Ouatio vnde dicta ſit.* Qui autem triumphat, albis equis vtitur 4. & Senatu præeunte in Capitolio de tauris ſacrificat. Sex. autem Pompeius, Ouantes, inquit, lætantes dicuntur, ab eo clamore quem faciunt redeuntes à pugna victores milites, geminata O littera. quod idem etiam Dionyſio placet, qui ait: Quaſi verò Romani, Euaſtin, Græcorum vocem, quæ clamorem ſignificat, Ouationis nomine voluerint interpretari.

Erat autem Ouatio minor (vt dixi) Triumphus, qui agebatur quum belli Duces rebus quidem proſpere geſtis, non tamē ita magnis vt iuſto Trium-

pho dignæ essent. Nam ex S.C. ouantes pedibus primùm, deinde non curru, sed vno equo vecti vrbem ingredi solebant. Differt autem Ouatio à Triumpho, vt ait Dionysius lib. v. quòd qui ouans ingreditur, is nec curru vectus, nec sceptrum in manu tenens, nec trabeam, vel togam pictam, aut aurei claui vestem (qui peculiaris Consulũ amictus) indutus, pedibus vrbem exercitu præeunte iniret. Plutarchus autem eundem nec quadrigis inuectum, nec laurea coronatum, nec tubis concinentibus, sed pedibus & calceis myrtea redimitum tibijs modulantibus vrbem inisse tradit. Myrtea autem eos potiùs esse vsos quàm (vt ait Dionysius) laurea, Plutarcho assentior, quòd idem etiam traditum sit à Plinio, Sexto Pompeio, & Gellio. Plinius enim libro 15. cap. 29. Triumphauit (inquit) de Sabinis Postumius Tubertus in Consulatu, qui fuit primus omnium ouans, quòd sine cruore rem gessisset, myrto Veneris victricis coronatus incessit. Hæc pòstea ouantium fuit corona, excepto M. Crasso, qui de fugitiuis & Spartaco laurea coronatus incessit. Et Sextus Pompeius: Oualis corona est myrtea, quam habebant qui ouantes introibant, quum bella non essent indicta, aut sine sanguine confecta. Idem & Gellius refert.

Quis primus ouans ciuitatem ingressus sit. Hoc autem Triumphi genus primùm anno CCLI. P. Postumio Tuberto II. & Agrippa Menenio Cos. institutũ fuisse, ex Licinij Annalibus docet Dionysius lib. v. Cur autem hoc factum fuerit, non eandem caussam Dionysius & Plinius afferunt. Hic enim, quia Postumius leniter & sine cruore rem gesserat; ille ex prælio antè infelicissimè facto, in quo plurimis ex suis amissis, parum abfuit quin ipse cum cæteris in fuga caperetur. Pedibus autem an equo vecti ouantes ingrederentur, magna quæstio esse videtur: de qua sic etiam scribit Gellius libro v. cap. vi. Prætereundum non est, quod ad ouationem attinet, super quo veteres auctores dissentire scio: partim enim scripserunt, qui ouaret, introire solitum equo vehente. Et Sabinus Massurius pedibus ingredi ouantes dicit, sequentibus eos non militibus, sed vniuerso Senatu. Ita etiam Dionysius pedibus ingressos, Liuius & Dio equo vectos intelligunt. Etenim ouantem ingredi, equo vehi Dio appellat, quum de Cæsare Dictatore, Antonio, Augusto, Druso, & Nerone loquitur. Dionysius verò pedestrem Triumphum Ouationem vocat, dum de A. Manlio anno CCXXC. ouante differit. Quam ego controuersiam sic dirimi posse existimo, initiò quidẽ ouantes pedibus, postea verò equo vectos, Vrbem ingredi cõsueuisse. Ouandi autem, & non triumphandi, has causas lib. v. cap. vi. affert Gellius, cùm aut bella non rite indicta, neque cum iusto hoste gesta sunt, aut cùm hostium nomen humile aut non idoneum est, vt seruorum, piratarumque, aut deditione repentè facta (sine puluere, vt dici solet) incruentaque victoria obuenit. Cui facilitati aptam crediderunt Veneris frondem, quòd non Martius sed quasi Venereus Triumphus quidam foret. Hanc myrteam coronam M. Crassus, bello

bello fugitiuorum confecto, cùm ouans rediret, insolenter aspernatus est, Senatusque consultum faciendum per gratiam curauit, vt lauro, non myrto, coronaretur. Adijcit Plutarchus, cùm verbis & comitate res cum hostibus transacta & bene gesta esset, tum, vt ouantes inirent, fuisse permissum. His adde aut ob inducias factas, aut quum in aliena prouincia, aut alienis auspicijs, aut quum sine Magistratu res gesta esset, vt de A. Manlio apud Dionysium anno CCXXC. de C. Nerone apud Liuium, de Valerio Falcone apud Verrium Flaccũ, & de M. Marcello apud Valerium & Liuium factum refertur.

Illud etiam animaduersione dignum est, quòd Massurius Sabinus apud Plinium lib. 15. cap. 29. scriptum reliquit, eos, qui curru triumphabant, aliquando myrtea corona vsos fuisse. M. etiam Valerius Volusus, vir triumphalis, duabus coronis vtebatur, laurea & myrtea. Hæc autem sunt quæ de Ouatione hinc inde collecta in vnum congregaui: cuius vsus potissimùm Romæ vsque ad Neronis Imperatoris tempora mansit. Haud enim facilè, si ab vno aut altero recesseris, illum post Neronem inuenies, qui vrbem ouans inierit.

ITEM DE TRIVMPHO.

Belisarius vltimum egit Triũphũ more veteri.

TRiumphi autem maioris vsum vsque ad Iustiniani tempora permansisse, satis liquet. Nouissimus enim omnium, quod sciam, Iustiniani Imperatoris auctoritate triumphauit Fl. Belisarius, V. C. Africa recepta, de Vandalis, & eorum Rege Gilimere, more veteri, curru quadriiugo in vrbem Constantinopolim vectus. Post quem neminem ampliùs more prisco triumphasse inueni, quum post ea tempora imperium Romanum non solùm vllum incrementum habuerit, sed in præceps pronum ab Arabibus & Sarracenis, Hunnis, Bulgaris & Longobardis postremò laceratum sit, & euersum. Trecentos porrò & circiter quinquaginta Triumphos & Ouationes à Romulo primo vsque ad Iustiniani Augusti tempora actos fuisse, varia, longa, & difficili obseruatione inueni. Quum enim CCCXX. actos fuisse Triumphos à Romulo vsque ad Vespasianum referat Orosius, ego circiter 30. alios Triumphos à Vespasiani imperio subsequentibus Imperatoribus vsque ad Belisarium deprehendi ferè omnes à Romanis Principibus gestos. Quidam referunt, Heraclium Imperatorem post deuictos & ad internecionem ferè cæsos Persas, ipsorumque Rege Chosdroë occiso, cùm ingrederetur Hierosolymam, sanctissimæ Crucis parte recuperata, triumphasse, quod mihi magis Triumphi vmbra videtur, quàm iustus Triumphus. Nam nec curru vectus, nec cum insignibus triumphalibus processit; sed tantùm victoria potitus, antiqui Triumphi vmbram quandam ostendit.

350 Triumphi & Ouationes acti à Romulo vsq; ad Belisarium.

Cæterùm de CCCXX. Triumphis à Romuli tempore ad Vespasiani Augusti imperium actis, his verbis Orosius lib. 7. mentionem facit. Vbi autem Vespasianus & Titus Imperatores, magnificum agentes de Iudæis Triumphum, Vrbem ingressi sunt, pulchrū & ignotum antè cunctis mortalibus inter CCCXX. Triumphos, qui à condita Vrbe vsque ad id tempus acti erant, hoc spectaculum fuit, patrem & filium vno triumphali curru vectos, gloriosissimam de his, qui patrem & filium offenderant, victoriam reportasse. Triumphi verò honor Romæ vsque ad Augusti imperium frequentissimus fuit, sub quo etiam eum multi sunt Duces adepti. Nam super XXX. Ducibus, nisi in verbo error sit (vt inquit Tranquillus) iustos Triumphos decernendos curauit. Post Augusti tempora, Romanis iam toto ferè terrarum orbe victoribus, rarò admodum Romæ triumphatum est. Quum enim terra marique pace parta, vndique iam bella cessassent, & omnes ferè orbis terrarum nationes & gentes vel imperio Romano parêrent, vel fœdere coniunctæ essent, paucæ admodum Triumphorū materiæ reliquæ fuerunt: siquidem intra DC. annorum interuallum, quod inter Augustum & Iustinianum fuit, vix 30. Triumphi acti sunt, quum præcedentibus temporibus intra annos paulo plus DCC. trecentos ferè Triumphos, Duces populi Romani adeptos fuisse constat.

Inter omnes Triumphos celeberrimus fuit Vespasiani & Titi.

Quod si aliqua bella oriri contigisset, vt Parthica, Germanica, & Persica, (hæ enim præcipuè gentes Romano imperio infestiores erant) ea ab Imperatoribus administrabantur, qui aliquando duo & tres pari potestate prædit erant, eorumque auspicijs à priuatis Ducibus, vel eorundē Legatis, gerebantur: quare soli Imperatores de victis gentibus triumphabant. Quod si aliquando vsu venisset Romanos Principes pluribus difficillimisque bellis insurgentibus priuatos Duces ad ea suis auspicijs gerenda mittere, eis post adeptam victoriam non amplius debitū Triumphum concedebant, quorum pompam sibi ipsis retinere cœperunt, sed Triumphi loco, quem in Republica libera omnino meruissent, triumphalibus ornamentis, nouo & tenuiore honoris genere ab Augusto excogitato, eos honorabant. Porrò autem sub Augusto Cæsare triumphalium ornamentorū vsus pro Triumpho hac ratione primùm, vt lib. 55. tradit Dio, inuentus est.

Post Imperatores sibi honorem triūphandi referabant.

DE TRIVMPHALIBVS ORNAMENTIS.

ANno Vrbis conditæ DCCXL. Cn. Lentulo & M. Crasso Coss. Bosphoranos, qui, Asandro mortuo, à Scribonio quodam solicitati fuerant, subactos ab Agrippa Dio tradit: eidemque propterea supplicationes Romæ esse atque Triumphum decretum: quem tamen ab ipso non esse actum, quia de rebus gestis nihil ad Senatum scripserat. Ex quo tempore (inquit)

(inquit) reliqui exemplum eius quasi legem quandam secuti, nec publicè litteras miserunt, neque Triumphum obtinuerunt: ac propterea nemini alij pari dignitate Triumphus in posterum, sed triumphalia tantùm ornamenta decreta sunt. Ita Dio. Agrippam autem nimia honorum satietate affectum, Triumphum recusasse crediderim: cuius postea exemplum quum alij secuti essent, rem casu ortam Imperatores sequentes pro lege vsurparunt, Triumphique decus, quod omnium maximum erat, sibi ipsis retinuerunt. Quum enim Reipublicæ Principes & Domini essent, tanto honore solos se dignos existimabant, idque fortassis priscorum Regum Romanorum more, sub quibus neminem præter Reges triumphasse animaduertimus. Vt enim Imperio & dignitate cæteros Senatores anteibant, ita quoque triumphandi iure, honore omnium maximo illis interdicto, præstare inter alios voluerunt. Duces quoque qui Cæsarum tempore fuerunt, inuidiam maximi honoris vitaturi, rebus egregiè gestis, Triumphi mentione omissa, triumphalibus ornamentis contenti erant. Hæc autem fuerunt supplicationes decretæ, appellatio Imperatoris, laurea corona, prætexta siue trabea triumphalis, sceptrum, statua, sacrificia, & cætera triumphantium insignia: curru tamen intra vrbem non vehebantur, neque consuetam pompam agebant. Qui honor vsque ad Constantini Imperatoris tempora permansit: post quę cum Triumpho paulatim obliterari cœpit.

Tempore Imperatorum Ducibus exercitus loco Triumphi ornamenta Triumphalia dabantur.

Cæterùm ego quemadmodum de Triumphis feci, ita & in his, qui ornamentis triumphalibus ornati essent, digerendis multum laboraui. Quos tamen non nisi vsque ad Domitiani Imperatoris tempora inuenire potui. Reliqui enim deinceps obscuri sunt, & incogniti: & librorum auxilio destitutus, qui fuerint, ne suspicari quidem potui.

Hæc autem sunt quæ de ornamentis triumphalibus, eorum caussis & initijs, inuenire potuerim.

DE SPOLIIS OPIMIS, QVÆ A TRIVMPHANTIBVS RELATA ET SVSPENSA SVNT.

Finitimarum Vrbi gentium animis ob raptarum virginum iniuriam irritatis, Cæninenses primi, non expectato cæterorum populorum subsidio, cum eorum Rege Acrone in agrum Romanum impetum fecere. Quibus effusè vastantibus obuius factus cum exercitu Romulus, leui certamine eorũ exercitũ fudit, fugauitque; fusum persecutus, Regem eorum Acronem in prælio obtruncatum spoliauit. Duce hostium occiso, vrbem primo impetu cepit, inde exercitu victore reducto in Vrbem ea ratione, de qua suprà dixi, reuersus, primus Romæ Liberi Patris exemplo, victore reducto exercitu, Triumphum, seu

potiùs Triumphi vmbram, Romanis ostendit. Hicque primus Romæ triumphus actus est. Qui cùm Triumphans in Vrbem reuerteretur, spolia occisi hostium Ducis Acronis suspensa, fabricato ad id apto ferculo, gerens, in Capitolium ascendit, ibique ea quum ad quercum pastoribus sacrum deposuisset, simul cum dono designauit Templo Iouis fines, cognomenque addidit Deo: Iupiter Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus Rex regia arma fero, Templumque in regionibus, quas modò animo metatus sum, dedico, sedem opimis spolijs, quæ Regibus Ducibusque hostium cæsis me auctorem sequentes posteri ferent. Hæc autem Templi est origo, quod primum omnium Romæ sacratum est. Ita deinde Dijs visum est, nec irritam conditoris Templi vocem esse, qua laturos eò spolia posteros nuncupauit, nec multitudine compotum eius doni vulgari laudem: bina postea intra tot annos, tot bella, opima parta sunt spolia, adeò rara eius fortuna decoris fuit. Ita libro primo Liuius.

Eadem referunt Dionysius libro 2. Messalla libro 1. Valerius Maximus lib. 3. cap. 2. Plutarchus in Romulo, L. Florus lib. 1. Auctor de viris illustribus, Eusebius in Chronico, & Orosius. Cæterùm de spolijs opimis à Romulo, Acrone Cæcinensium Rege occiso, relatis, ideò hoc loco scripsi, quòd in Capitolinis Triumphis animaduerterim tertiorum spoliorum, quæ M. Marcellus anno DXXX. retulit, mentionem fieri, de quibus hæc tradita fuisse à veteribus scriptum inueni.

Spolia opima quænam fuerint. Spolia opima, id est, ampla & magnifica, ea erant, quæ Dux pop. Romani hostium Duci detraxit, quorum auspicijs bellum vtrinque gereretur. Dicta, vt Varro lib. 3. de lingua Latina tradit, ab Ope, vel (vt Plutarchus in Romulo scriptum reliquit) ab opere rei gestæ, quum sit opus egregium & clarissimum, Ducem belli parem sibi ductorem singulari certamine superare. Varronis sententiam Sex. Pompeius secutus videtur, qui ita scribit: Opima spolia dicuntur, originem quidem trahentia ab Ope Saturni vxore, quòd ipse Saturnus agrorum cultor habetur, nominatus à satu; tenensque falcem effingitur, quæ est insigne agricolæ. Itaque illa quoque cognominatur Consiua, & esse existimatur terra, ideoque in Regia colitur à populo Romano, quia omnes opes humano generi natura tribuat. Ergo & opulenti dicuntur terrestribus rebus copiosi, & hostiæ opimæ, præcipuè pingues, & opima magnifica & ampla: vnde spolia quoque quæ Dux populi Romani Duci hostium detraxit, opima dicuntur: quorum tanta raritas est, vt intra annos paulo minùs DXXX. tantùm trina contigerint nomini Romano. Vna, quæ Dux Romulus de Acrone; altera, quæ Cossus Cornelius de Tolumnio; tertia, quæ M. Marcellus de Virdumaro fixerunt. M. Varro ait opima spolia esse, etiam si manipularis miles detraxerit, dummodo Duci hostium detraxerit.

Quòd